AUTHOR:

LIPSIUS, KARL H. A.

TITLE:

DE ARISTIDIS PLUTAR-
CHEI...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

[1860]

Master Negative #
91-80190-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Lipsius, Karl Heinrich Adelbert,
...De Aristidis Plutarchei locis quibusdam commentatio. Lipsiae, ex officina A. Edelmanni, [1860].
21 p. 25½ cm.


At head of title: ...Godofredo Stallbaumio... die XVII. m. Maii 1860...gratulatur Schola Thomana

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 13 1/2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-16-91   INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Plutarch
Vitae. Aristides

no. 6

VIRO

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO

GODOFREDO STALLBAUMIO

PHIL. DOCT. EIUSDEMQUE IN LITT. UNIV. LIPS. PROF. P. E.

RECTORI SUO MERITISSIMO

INTEGRA QUINQUE LUSTRA

POST SUSCEPTUM IN IPSA RECTORIS MUNUS

DIE XVIII. M. MAII A. MDCCCLX

FELICITER PERACTA

EA QUA PAR EST PIETATE

GRATULATUR

SCHOLA THOMANA.

INEST C. H. A. LIPSII DE ARISTIDIS PLUTARCHEI LOCIS QUIBUSDAM COMMENTATIO.

LIPSIAE

EX OFFICINA A. EDELMANNI, TYPOGR. UNIVERSIT.

1860.

Q. B. F. F. Q. S.

Si iam ante hos quindecim annos auspicatissimus dies, quo *TU* suscepti ante quinque lustra in schola Thomana docendi muneris memoriam repetebas, magnam et iustam communis laetitiae piaeque congratulationis caussam adferre nobis videbatur, quanto ampliorem et iustiorem hodie suppeditari nobis censebimus, quo die *TE* rectoris munere in eadem schola per totidem, praeceptoris autem per octo lustra feliciter perfunctum videmus. Nam magnum profecto ac pia congratulatione dignum esse, si cui scholarum magistro contigerit, ut in tanta vitae humanae fragilitate tantisque muneris scholastici laboribus per integros quinque et viginti annos in eadem veluti statione maneat, id si ex ulla re, certe ex eo apparet, quod illorum virorum, quos *TU* ante hos quadraginta annos muneris collegas nactus eras, ne unus quidem, eorum autem, quos in auspicando rectoris munere et laetitiae et officii socios habebas, quamvis aetate *TE* plerique etiam inferiores essent, hodie non amplius quam quatuor de duodecim supersunt. At multo tamen etiam rarius nec nisi singulari quodam Dei beneficio evenire, ut quis per quartam seculi partem eiusdem scholae etiam gubernaculum teneat, vel hoc unum testatur, quod id ante *TE* ex omnibus, quorum quidem nomina ad nostram memoriam pervenerunt, huius scholae rectoribus non contigit nisi sex etiam alio nomine illustribus, *Joanni Heilio* (1561—1592), *Georgio Cramero* (1640—1676), *Joanni Henrico Ernestio* (1684—1729), *Joanni Augusto Ernestio* (1734—1759), *Joanni Friderico Fischero* (1767—1799), *Friderico Guilielmo Ehrenfr. Rostio* (1800—1835). Quod autem praeterea de *TE* praedicari licet, *TE* in qua schola per tantum temporis spatium vel magistri vel rectoris munere fungebaris, eiusdem olim per plures annos etiam alumnum fuisse, ut paucis annis exceptis paene totam vitam hactenus actam in hac Musarum sede transegisse videaris, id nescimus an praeter *TE*, carissime STALL-

BAUMI, contigerit nemini. Verum tamen quoniam in omnibus rebus humanis non solum quaeritur, quam diu, verum etiam, quam bene quis provinciam sibi concreditam administraverit, quorum alterum totum e supremi numinis voluntate suspensum, alterum magna certe ex parte in nostra ipsorum potestate positum est, contemplari iam et ob oculos ponere liceat, quonam modo *TU* in gerendo amplissimo munere versatus esse videaris. Quod si ita quaerere instituerimus, ut non tam verbis laudes *TUAS* praedicemus, quam ipsas res veluti loquentes inducamus, videmur facturi esse, quod et ad persuadendum aptius et *TUAE* modestiae ac verecundiae convenientius iudicari debeat. Quum autem amplissimum rectoris munus his tribus maxime partibus contineri videatur, primum ut universam scholae disciplinam sive ad litteras tradendas, sive ad mores fingendos spectantem ad finem scholae propositum et ad temporum rationes accommodet in eaque constituenda, si quid recte sit a maioribus institutum, conservet, si quid minus bene, emendet; deinde ut intra leges disciplinae scholasticae scriptas singulos quosque disciplinae alumnos ad id quod propositum est, quantum fieri possit, adducat, h. e. et doctrinae copiis ad litteras discendas et auctoritate sua ad virtutem colendam instituat; denique ut etiam muneris socios et administros mutui amoris officiique vinculo sibi devinciat et ad commune opus faciendum quam aptissimos promptissimosque reddat: liceat iam ab ea, quam primo loco posuimus, muneris parte dicendi initium facere. Quamquam enim in disciplina scholarum constituenda hodie non ea est rectorum magistrorumque libertas vel potestas, quam in narratione de *J. M. Gessnero* de sua aetate praedicavit *J. A. Ernestius*, tamen etiamnunc plurimum ab illorum consilio arbitrioque pendere, et sponte sua intelligitur, et *TUO* quoque, clarissime STALLBAUMI, comprobatur exemplo. Nam in ea quidem disciplinae parte, quae ad litteras tradendas spectat, quam fortis et alacer *TU* propugnator exstiteris earum litterarum, quae ab humanitate nomen habent quaeque in gymnasiis nostris tamquam proprium domicilium posuerunt, testantur libelli scholastici, quos binos singulis annis in lucem edidisti quibusque de litterarum illarum natura et praestantia et intima cum omnibus vitae tum publicae tum privatae partibus coniunctione admirabili et oris facundia et pectoris impetu disputavisti; testatur maxime illa una oratio, quam a. 1846 inter medias turbas de ea re excitatas de sermonis graeci et latini usu in gymnasiis

etiamnunc tuendo habuisti; testatur praeterea ipsius scholae nostrae institutio, in qua uti ceteris litterarum illarum partibus, ita etiam latine dicendi scribendique facultati etiamnunc honos suus habetur; testatur denique etiam tota vita *TUA*, quam optimarum artium studiis dedicavisti sic, ut inter viros eorumdem studiorum laudibus florentissimos praecipuum quemdam locum obtinere optimo iure censearis. Nec tamen iisdem illis studiis *TE* scholamque *TUAM* ita veluti mancipasti, ut ceterarum litterarum, earum maxime, quae hodie cum humanitatis studiis de principatu contendunt, omnem curam abieceris; sed quam iam ante *TE* b. *Rostius* inde ab a. 1832 ingressus erat viam, eandem *TU* quoque persecutus es sic, ut apud nos quidem vetus et novum doctrinae genus, priusquam publicis legibus quidquam de ea re praeciperetur, pacem inter se composuisse viderentur. Ex quo evenit etiam, ut de tribus magistris, quibus *TE* rectore collegarum numerus auctus est, unus tantum esset, quem philologiam profiteri oporteret, alter autem et tertius ad mathesin historiamque naturalem vel ad canendi artem certis quibusdam discipulorum ordinibus tradendas vocarentur. Quibus obiter addimus, *TUIS* auspiciis etiam gymnasticae et delineandi artis exercendae discipulis nostris si non necessitatem impositam, at facultatem tamen exhibitam esse. De ea autem disciplinae parte, quam ad educationem puerorum adolescentiumque pertinere diximus quaeque apud nos tanto pluris facienda est, quum magna discipulorum pars intra scholae parietes publicis sumptibus alatur, quantum *TU* merueris, cognosci maxime licet quum ex perpetuis scholae annalibus, quibus *TU* quid singulis annis novatum esset perscripsisti, tum e singularibus quibusdam libellis, quibus universam scholae conditionem, qualis et *TUA* et superiori aetate fuerit, quasi in unum comprehendisti.*) Quamquam enim paucis annis ante, quam *TU* rectoris munus susciperes, etiam convictus publici discipulorum nostrorum disciplina de integro constituta temporumque rationibus adaptata erat, tamen satis multa etiam *TIBI* emendanda relicta sunt. Ex quo genere abrogatos discipulorum per vias obambulantium cantus, sublatam pecuniolae in civium aedibus colligendae indignam consue-

*) Die Thomasschule zu Leipzig, nach dem allmäligen Entwickelungsgange ihrer Zustände, insbesondere ihres Unterrichtswesens, eine Säcularschrift 1839. Festrede am Erinnerungsfeste gewesener Thomaner, 1854.

tudinem, mutatum in melius discipulorum vestitum, conscriptum ac subinde emendatum legum scholasticarum codicem commemorasse h. l. sufficiat. Neque illud silentio praetereundum est, *TE* etiam artem musicam, utpote ad animum fingendum venustique sensum excitandum efficacissimam, tanto honore habuisse, ut de ea re amicius, quam antehac factum esset, cum cantoribus nostris conspirare videreris. In quibus omnibus vix dici potest, quantum *TE* etiam illud adiuverit, quod quid prodesset, quid obesset scholae nostrae alumnis olim ipso usu expertus eras.

Porro quam supra alteram posuimus amplissimi rectoris muneris partem, ut disciplinae suae alumnos et doctrinae copiis ad litteras discendas et auctoritate sua ad virtutes colendas instituat, ea quamquam rectori scholae cum ceteris magistris communis est, tamen ab illo singulari quodam ac prorsus eximio modo administrari debere censetur. Et doctrinae quidem copiis quantis qualibusque instructus sis, testatur ac veluti loquitur ipsa doctrinae *TUAE* fama non solum extra scholae, verum etiam ultra patriae universaeque Germaniae fines egressa; loquuntur locupletissimi testes, scriptores veteres Graeci et Latini in lucem abs *TE* editi, in his de grammaticorum genere Eustathius et, si posterioris quoque aevi scriptorem addi licet, Ruddimannus, e poëtis Terentius et Horatius, e prosae orationis scriptoribus Herodotus et divinus ille Plato *TUUS*, quocum tantam familiaritatem contraxisti, ut eius non solum emendator ac paene sospitator, sed etiam interpres doctissimus sagacissimusque exstitisse iure *TUO* existimeris; loquuntur iterum libelli *TUI* scholastici, quibus etiam de variis ingenuae doctrinae partibus et difficilioribus quibusdam veterum scriptorum locis tanta subtilitate tantaque sermonis latini elegantia disseruisti, ut discipuli nostri non solum e Ciceronis vel Livii, verum etiam e *TUIS* libris latine scribere discant; loquuntur denique ipsi disciplinae *TUAE* alumni paene innumerabiles, qui omnes quantum e *TUAE* doctrinae copiis etiam ad ipsos redundaverit utilitatis, gratissimo animo profitentur. Ad mores autem adolescentium fingendos excitandumque virtutis ac pietatis studium quantum auctoritas *TUA* et voce et scriptis (nam de huiusmodi quoque rebus interdum in libellis scholasticis exposuisti) et ipso exemplo valuerit, vel inde iudicare licet, quod quamdiu *TUO* imperio paruit schola nostra, ut singulari quadam studiorum in litteris positorum prosperitate, ita etiam morum disciplina paullo severiore commendari vide-

batur. Certe hoc ipso tempore ea fuit scholae nostrae tum apud cives huius urbis tum apud exteros existimatio, ut maiori quam antea unquam gauderet discipulorum frequentia. Quod tantum abest, ut nimia quadam disciplinae severitate et austeritate effeceris, ut quam in litterarum studiis professus esses humanitatem, eandem utpote ingenio *TUO* penitus insitam etiam in adolescentium animis regundis probaveris luculentissime. Nam tanta semper in *TE* fuit etiam in discipulos humanitas, tanta in docendo et sermocinando comitas, tanta etiam in admonendo et puniendo lenitas, tanta maxime in bonae spei adolescentulos animi propensio, tantum denique etiam de externis illorum commodis merendi studium, ut illi *TE* non solum studiorum vitaeque suae moderatorem sapientissimum, sed etiam amicum ac veluti parentem amantissimum obtigisse sibi profiteantur. Quibus omnibus etiam hoc addere liceat, *TE* rectore etiam dona multa contigisse nobis a viris scholae bene cupientibus, quae vel ad levandam adolescentium paupertatem vel ad iuvanda virtutis litterarumque studia valerent.

Restat denique, quod supra tertium posuimus, ut qualis *TU* nobis, collegis *TUIS*, exstiteris, candido pectore testificemur. Qua re paucis defungi licebit, si *TE* quam vel adolescentulis probaveris humanitatem et benevolentiam, eandem multo etiam magis collegis praestitisse affirmaverimus. Habuimus *TE* et habemus officii monitorem lenissimum, consiliorum nostrorum moderatorem sapientissimum, doctrinae, ingenii, fidei in munere obeundo exemplum luculentissimum, rerum nostrarum cum publicarum tum privatarum fautorem ac tutorem studiosissimum, mutui amoris animorumque consensus auctorem, altorem, adiutorem benevolentissimum. In cuius rei testimonium memorari liceat adauctum *TUIS* auspiciis collegarum numerum, levatum ea ipsa re officiorum per omnes in orbem euntium onus, adaucta etiam collegarum omnium salaria annua, amplificatum ac denuo constitutum aerarium viduis orbisque alendis dicatum, instituta apud *TE* collegarum convivia iucundissima, denique cuiusque generis vel omnibus vel singulis exhibita amoris *TUI* documenta. Quibus quidem omnibus quam arcto amoris gratique animi vinculo nos *TIBI* devinxeris, quamvis ipse noveris, tamen quotiescunque licet, etiam palam profiteri fas est.

Haec igitur quum ita sese habeant, facere profecto non possumus, quin hodiernum diem tamquam albo calculo notandum *TIBI*que et scholae et

nostro ipsorum nomine ex intimo pectore congratulandum putemus. Nam schola quidem universa quo plura *TIBI* accepta refert quoque magis in *TUA* laude ac salute etiam suam agi intelligit, eo maiori iure huius diei felicitatem etiam ad se pertinere existimat. Nos autem, quibus *TU* talis qualem diximus et hactenus fueris et, ut certo speramus, etiam in posterum futurus sis, non possumus non *TUAM* laetitiam etiam nostram putare. Cuius communis laetitiae nostrae ut etiam publicum quoddam documentum exstaret, non solum bona vota nuncupanda, sed etiam munusculum aliquod litterarium dedicandum *TIBI* putavimus, quo huius diei et apud nos servaretur et foras proferretur memoria. Quod munusculum qualecunque ut pro *TUA* humanitate benevole accipere neve tam ex ipsius pretio quam ex eorum qui dedicant voluntate aestimare velis, etiam atque etiam rogamus. Deum autem Optimum Maximum enixis precibus oramus et supplicamus, ut *TE* salvum atque incolumem, corporis animique viribus vigentem quam diutissime et nobis et scholae et litteris universis conservet! Faxit hoc Deus pro insigni, quam et *TIBI* et huic scholae semper praestitit, clementia ac benevolentia. *TU* vero vale nobisque favere perge.

LIPSIAE, die XVIII. m. Maii a. MDCCCLX.

CAROL. HENRIC. ADELB. LIPSIUS, Dr. phil. Scholae Conrector.
MAURITIUS HAUPTMANN, Dr. phil. Scholae Cantor Musices ad Aedem Thom. et Nicol. Director Ordin. Reg. Bavar. Maxim. Eques.
GEORG. AENOTH. KOCH, Dr. phil. Collega III. Ordin. Reg. Graec. Servat. Eques.
AUG. CHRISTIAN. ADOLPH. ZESTERMANN, Dr. phil. Coll. IV.
GUST. EDUARD. MÜHLMANN, Dr. phil. Coll. V.
CAROL. FRIDER. HEYM, Dr. phil. Mathem. et Phys. magister I.
PAUL. HENRIC. AUG. MÖBIUS, Dr. phil. Coll. VI.
HENRIC. RUDOLPH. HILDEBRAND, Dr. phil. Adiunct. I.
MAXIMIL. ERLER, Dr. phil. Adiunct. II. et Calligraph.
CAROL. EHRT, Dr. phil. ling. Francogall. magister.
ARMIN. THEOD. KRETSCHMAR, Dr. phil. Mathem. et Phys. magister II.
IOANN. DOM. VITALE, Italus Alumnorum magister.
CAROL. FRIDER. ZÖLLNER, Magister Externorum Schol. musicus.
HUGO KOCH, Cand. min. schol. sup.

Quam ante hos duos annos de Plutarchi vita Themistoclis institui disputationem quum haud improbari vidissem cum aliis viris doctis tum ei maxime, penes quem summum est rerum ad Plutarchi vitas spectantium arbitrium, *Carolum Sintenisium* V. Cl. dico, iam nova scribendi opportunitate data inceptum opus ita continuare animum induxi, ut etiam aliam aliquam de qua pauca commentarer eligerem e Plutarchi vitis. Ex omnibus autem vitis quum praeter Themistoclis etiam Aristidis vita et per se dignissima videretur, quae in scholis publicis tractaretur et *Sintenisio* quoque digna visa esset, quam bis separatim ederet, primum cum commentario critico (Lips. 1830), deinde in Weidmanniana scriptorum veterum collectione (Lips. 1848, Berol. 1855), hanc potissimum eligendam mihi putavi, praesertim quum ipsa quoque esset ex earum vitarum numero, quae egregio libro Parisino (n. 1676 = Fa) et altero ex eodem fonte ducto (n. 2955 = L) h. e. duobus illis libris continentur, quos ut olim H. Stephanus, ita nunc *Sintenisius* et post illum *Bekkerus* praeter ceteros sequendos esse duxerunt. Sic enim fieri poterat, ut etiam eam continuarem superioris disputationis meae partem, quae ad eorumdem librorum fidem rectius aestimandam spectabat. In qua re hoc mihi accidisse fateor, ut quo accuratius horum librorum lectiones examinarem, eo magis mihi de earum praestantia persuaderem. Quamquam enim etiam in Aristidis vita sunt loci non pauci, quibus illorum librorum lectiones ab utroque quem dixi editore aut iure improbatas aut iniuria probatas esse censeam, e quibus locis qui sunt posterioris generis infra tractabuntur paullo copiosius: sunt tamen etiam alii multi, quibus lectiones illas recipi aut debuisse aut potuisse existimem. Et prioris quidem generis eos locos esse dico, quibus veras illas lectiones esse certis quibusdam rationibus demonstrari posse videatur, quales sunt loci nonnulli infra a nobis tractati; posteriori autem genere eos comprehendi volo locos, quibus quum pari fere dignitate sint librorum Fa L et ceterorum librorum lectiones, tamen eorum librorum, quos in ceteris duces elegerimus, auctoritatem

reliquis praeferendam esse putaverim. Qui loci quum et numero plures sint, nec longam fere disputationem requirant, potiores quosdam hoc ipso loco breviter recensuisse sufficiat.

Sunt autem huius generis fere hi loci: Cap. III. §. 2 Θεμιστοκλέους pro τοῦ Θεμ. — Ibid. Ἀθηναίοις pro Ἀθηναίων πράγμασιν — IV. 5 μᾶλλον τῆς πρώην καταδίκης pro μᾶλλον ἢ τῇ πρ. καταδίκῃ — VI. 4 post τύχῃ om. μεγάλῃ (in C post βίον collocatum) — VII. 1 διαδιδόντος (sic etiam Vulc.) pro ἐμβαλόντος — Ibid. 3 ὅτε δ' ἤρξαντο (etiam C Vulc. Bekk.) pro ἐπεὶ δ' ἤρξ. — VIII. 5 κρείσσονα μου γενέσθαι pro μου κρείττονα γενέσθαι — Ibid. ὑπ' αὐτοῦ pro ὑφ' ἑαυτοῦ cf. XIV. 3 — X. 7 ἔφασαν (etiam CDSTV Bekk.) pro ἔφασκον — XI. 3 Ὑψίονι (etiam Guil. Dindorfio probatum) pro Ὑψίωνι — Ibid. 5 ἐρωτώμενον (sic Bekk.) pro ἐπερ. — XII. 1 παρελθὼν Ἀριστ. (sic Bekk.) pro παρελθ. ὁ Ἀρ. — Ibid. περὶ ἀνδραγαθίας καὶ εὐγενείας pro περὶ εὐγ. κ. ἀνδρ. — XV. 1 προὔφερον pro προὔφαινον cf. Pelop. 20 Nic. 13 al. — XVII. 4 γενησομένης (etiam Vulc.) pro ἐσομένης — Ibid. 5 πρὸς Ἀμομφάρετον (sic omnes libri praeter A. neque aliter Bekk.) pro πρὸς τὸν Ἀμομφ. — Ibid. 6 θεμένοις — ἀμυνομένοις (alterum e Fa L, alterum e Vulc. enotatum) pro θεμένους — ἀμυνομένους — XVIII. 2 πρὸς ἄνδρας αὐτοῖς ὁ ἀγὼν ἔσται pro πρὸς ἄνδρ. ὁ ἀγὼν ἔσοιτο — XIX. 1 καὶ Μαρδόνιον pro καὶ τὸν Μ. — Ibid. 4 συναγωνίσασθαι pro ἀγων. — XX. 1 Ἀριστείδης pro ὁ Ἀρ. — XXI. 2 τοῖς Βοιωτοῖς (Bc Vulc. παρὰ τοῖς Βοιωτοῖς C Βοιωτοῖς) pro παρὰ Βοιωτοῖς — XXIII. 2 ποτὲ βουληθέντος ἐγκαλέσαι καὶ διδάξαι (βουληθέντος etiam Vulc.) pro ποτ' ἐγκ. κ. διδ. βουλομένου — XXV. 4 ἔφασαν (etiam C Bekk.) pro ἔφησαν.

Quibus accedunt nonnulli ex iis locis, quibus Sintenisius codicum Fa L lectiones, quum nuper (ed. Teubn. 1 vel Weidm. 2) recepisset, nuperrime (ed. Teubn. 2) rursus exterminavit, quales sunt VIII. 3 ἀρξόμεθα Ibid. 5 ἐπὶ τὸν βάρβαρον cf. Nic. 26 Demosth. 21. X. 1 τὸ δοκιμώτατον (sic etiam Vulc.) Ibid. 3 ἀπολωλεκότα καὶ τὴν χώραν (sic Bekk.) XIV. 4 τούτων δ' ὀξέως Ibid. 6 ἀρετῇ τε καὶ δυνάμει XVI. 6 ἐξ ἀρχῆς, εὐθύς, quae mea quidem sententia poterant paene omnes servari. Contra idem vir doctus alias quasdam, quas adhuc in Weidm. 2 neglexerat lectiones, nunc demum (ed. Teubn. 2) recte recepit, veluti XIV. 3 ὑπ' αὐτῷ (sic Bekk.) XVI. 1 μεταγαγόντα κατὰ XX. 2 ἀρέσαντα καὶ θαυμαστόν (sic Bekk.) Ibid. 5 κατανύσας Ibid. 6 Μενοιτίου μέν (sic Bekk.) XXIII. 2 ἡ τοῦ Παυσ. XXIV. 3 τούτῳ δὲ Περικλῆς (sic Bekk.).

Ceterum quod horum locorum nonnullis cum librorum Fa L lectionibus etiam Vulcobianas consentire dixi, id non his solis, sed etiam aliis tam multis

locis et talem in modum fieri tenendum est, ut quin harum quoque lectionum magna certe pars e duobus illis libris fluxerit, dubitari plane non possit.*) Cf. quae de his lectionibus Sintenisius et olim disputavit in epistola ad G. Hermannum vitae Them. praemissa p. XXXIII sqq. et postea emendatius in praef. ad ed. mai. Vitt. T. 1 p. XXIV sq. — Sed accedo iam ad singulos quosdam locos, quorum vel emendatio vel explicatio etiamnunc dubia videri potest, tractandos paullo uberius.

Cap. I. §. 1 περὶ δ' οὐσίας αὐτοῦ λόγοι διάφοροι γεγόνασιν, οἱ μὲν ὡς ἐν

---

*) Quod ne temere dixisse videar, liceat hic apponi quotquot in Aristidis vita reperiuntur consensionis illius exempla. Sunt autem de sexaginta sex, quae in universum in hac vita exstant, lectionibus Vulcobianis non minus quam undequinquaginta hae:

I. 7 Δαίμων
II. 7 ἰδών
III. 2 Ἀθηναίοις
Ib. 3 μεταβολῆς
IV. 1 συνικέτευεν
Ib. 4 προεπηλακίσθην
V. 1 χάριν γὰρ ἔχων ἕκαστος ἤδη τὸν (sic) παρ' ἡμέραν
VII. 1 γοῦν
Ib. διαδιδόντος
Ib. δὲ πολύ
Ib. τῇ ὀνομασίᾳ δόξαν — ἐχούσῃ
Ib. 3 ὅτε δ' ἤρξαντο
Ib. 5 ἐγγράψειν h. e. ἐγγράψειε
[Ib. 6 αὐτὸν Ἀριστ. non Vulcobii est, cui tribuit Sinten. in l. v., sed Anonymi]
Ib. ἐπιγράψαι
IX. 2 καθιερευθῆναι
Ib. περιστρέψας
Ib. 4 τρέψηται
X. 3 τὸ δοκιμώτατον
Ib. 5 τῶν κατακεκαυμ.
Ib. 7 ἔφασαν
XI. 1 ἥκειν
Ib. 2 διὰ τὸ μέγεθος
Ib. 6 διαμαρτεῖν
XIV. 3 ὑπ' αὐτῷ
XIV. 6 ἔκειρας h. e. ἔκειραν
XVI. 6 εὔυδρον (apud Sinten. e Vulc. non notatum)
XVII. 3 ἀπόντας
Ib. 4 ἐκλελειπότες h. e. ἐκλελοιπ.
Ib. γενησομένης
Ib. 5 ἀπὸ τῆς ὀργῆς
Ib. ἀμυνομένοις, ut in Fa L paullo ante θεμένοις
Ib. 8 λυδίων bis
XVIII. 2 ὁ μάντις ἔφραζε
Ib. 3 ἐξώθουν
XIX. 1 Διάπνηστος
Ib. 2 καταστῆναι
XX. 4 ἐναύσασθαι δέ
Ib. 5 κατανύσας
Ib. ἀγάμενοι
XXI. 2 παρὰ τοῖς Βοιωτοῖς
XXII. 2 Ἀριστ. τοῦ Θεμιστοκλ.
XXIII. 1 παρεχόμενος
Ib. 3 βουληθέντος
Ib. 4 τό τε ἀναγκαῖον
Ib. 6 ἔθνεσι
XXIV. 1 ἐπισκεψαμένῳ
XXV. 5 εὖ γε
XXVI. 1 εἰσπλεύσαντα
XXVII. 4 ἀντὶ τριωβόλου.

πενίᾳ συντόνῳ καταβιώσαντος κτλ. Pro *οἱ μέν* quum Schäferus maluisset *ὁ μέν*, Sintenisius (ed. crit. Arist. et ed. Weidm.) vulgatum *οἱ μέν* sic defendit, ut ex praegressis intelligendum diceret *φασί*; nam quominus *οἱ μέν* ad *λόγοι* appositum putetur, obstare sequentia *πρὸς δὲ τοῦτον τὸν λόγον*. Sed fateor displicere mihi illud *φασί*, tum propter asyndeton (exspectaveris enim *οἱ μὲν γάρ*, cf. simili loco Num. 21) tum propter sequentem voculam *ὡς* cum participio coniunctam, quae rectius post eiusmodi formulas, qualis est *λόγος γέγονε*, quam post simplex verbum *φασί* subiici videtur, cf. Aem. Paul. 9. 12 Marc. 10 Pyrrh. 13 Alex. 63 al. Quamobrem illud *οἱ μέν* quamvis sequentibus verbis *τοῦτον τὸν λόγον* ad antegressum *λόγοι* appositum et cum sequenti numero singulari ita conciliandum putaverim, ut eosdem sermones primum quidem, quod multiplices viderentur, utpote a pluribus profecti (*ὑπὸ πολλῶν εἰρημένον*) et pluribus argumentis suffulti, plurali numero, deinde vero, quod denique eodem omnes recurrerent, singulari numero significatos existimem. Cf. paullo infra post pluralem *χορηγικοὺς τρίποδας* subiectum singularem *τοῦ τρίποδος*, quem ipsum quoque frustra tentabat Schäferus.

Ibid. §. 3 *ἣν ἦρξε τῷ κυάμῳ λαχών.* Sintenisius (ed. crit. Arist. cl. ed. mai. Vitt. ad h. l. et praef. ad ed. Teubn. p. X) innixus vestigiis codicis A, in quo est *ἦρχε* pro *ἦρξε*, scribendum esse coniecit *ἣν ἦρχεν ὁ τῷ κυάμῳ λαχών* vel *ἣν ἦρχε τῷ κυάμῳ ὁ λαχών*, ut haec sit verborum sententia: *signa autem lauti eius patrimonii unum arbitratur magistratum Aristidis, quem magistratum gerere solebat qui faba sortiretur e magni census familiis.* Nam in vulgata quidem scriptura Demetrium iam ponere quod demonstrare velit, nobili genere natum fuisse Aristidem. Quae quamvis acute disputata sint, recte tamen coniecturam suam in textum inferre dubitavit. Nam licet etiam vulgatam scripturam quodammodo defendi sic, ut Plutarchum haec verba non e sua, sed e Demetrii mente referre in eiusque sententia referenda, quum plenius scribere deberet *ἣν ἦρξε τῷ κυάμῳ λαχὼν ὅπερ οὐκ ἐξῆν εἰ μὴ γεγονότι ἐκ τῶν γενῶν τῶν τὰ μέγιστα τιμήματα κεκτημένων* *quem magistratum gessisset faba sortitus, quod non liceret, nisi e maximi census gentibus nato*, haec per negligentiam aliquam ita contraxisse putemus, ut Demetrium quod demonstraturus esset iam ponentem faceret. Cui interpretationi non obstare indicativum modum *ἦρξε*, Sintenisius ipse significavit notula (in ed. Weidm.) paullo ante ad *τέθαπται* adscripta: *Uebergang zur directen Construction aus dem Streben zu objectiviren, wie nachher ἦρξε und später ἐλέγχει c. 10 ἴσασιν.* Adde locum nostro simillimum Cat. mai. 12 *καὶ λέγεται μέν τις αὐτοῦ φέρεσθαι λόγος, ὃν Ἑλληνιστὶ πρὸς τὸν δῆμον εἶπεν*, quibus

verbis refertur de oratione graece a Catone habita sermo quidam, quem ab ipso Plutarcho pro falso habitum esse testantur sequentia *τὸ δ' οὐκ ἀληθές ἐστιν.*

Cap. II. §. 5 *Ἀριστείδης δὲ καθ' ἑαυτὸν ὥσπερ ὁδὸν ἰδίαν ἐβάδιζε διὰ τῆς πολιτείας; πρῶτον μὲν οὐ βουλόμενος συναδικεῖν τοῖς ἑταίροις ἢ λυπηρὸς εἶναι μὴ χαριζόμενος, ἔπειτα τὴν ἀπὸ τῶν φίλων δύναμιν οὐκ ὀλίγους ἰδὼν ἐπαίρουσαν ἀδικεῖν ἐφυλάττετο.* Horum verborum constructio paullo insolentior haec est, ut quamvis additis particulis *πρῶτον μὲν — ἔπειτα*, tamen non utrumque participium (*βουλόμενος* et *ἰδών*) eidem verbo finito, sive antegresso *ἐβάδιζε* sive sequenti *ἐφυλάττετο* (sic enim addenda fuit particula copulativa, qua necterentur inter se verba *ἐβάδιζε* et *ἐφυλάττετο*), sed alterum superiori, sequenti alterum subiungatur. Quemadmodum enim in omni sermone graeco paullo liberior esse solet bimembris orationis per particulas vel copulativas vel adversativas connexae conformatio, cf. Matth. gr. max. II. p. 1528 Bernh. Synt. p. 487, ita etiam apud Plutarchum voculae *μέν — δέ* saepenumero ponuntur sic, ut a participio repente ad verbum finitum transeatur, vid. Schäf. ad Popl. 6 (IV p. 323) et ad Pyrrh. 14 (V p. 81), Craner. ad Phoc. p. 45. Quorum exemplis quum multa possim, saltem haec duo addo nostro simillima: Lucull. 6 *Πραικία τις ἦν — τὰ μὲν ἄλλα κρείττων οὐδὲν ἀνέδην ἑταιρούσης γυναικὸς, ἐκ δὲ τοῦ χρῆσθαι τοῖς ἐντυγχάνουσιν αὐτῇ — προσλαβοῦσα τῇ λοιπῇ χάριτι τὸ δοκεῖν φιλέταιρός τις εἶναι καὶ δραστήριος ἴσχυσε μέγιστον* Ibid. 14 *ἐνέβαλε διὰ τῆς Βιθυνίας καὶ Γαλατίας εἰς τὴν βασιλικήν, ἐν ἀρχῇ μὲν ἐνδεὴς τῶν ἀναγκαίων, ὥστε Γαλάτας ἕπεσθαι τρισμυρίους ἕκαστον ἐπὶ τῶν ὤμων κομίζοντα σίτου μέδιμνον, προϊὼν δὲ καὶ κρατῶν ἁπάντων εἰς τοσαύτην ἦλθεν ἀπορίαν κτλ.*

Cap. III. §. 1 *πρὸς πᾶσαν αὐτῷ πολιτείαν ἐνισταμένου καὶ διακόπτοντος.* In his ne quis ante *πολιτείαν* articulum desideret, tenendum est *πολιτείαν* h. l. non de universa reipublicae administratione, sed de singulis negotiis publicis dictum videri. Contrarii tamen generis exemplum legitur infra c. 25 *χρησάμενος γὰρ αὐτῷ παρὰ πᾶσαν ὁμοῦ τὴν πολιτείαν ἐχθρῷ.*

Ibid. §. 3 *καὶ ὁμοίως ἡγουμένῳ χρῆναι τῇ πατρίδι παρέχειν ἑαυτὸν οὐ χρημάτων μόνον, ἀλλὰ καὶ δόξης προῖκα καὶ ἀμισθὶ πολιτευόμενον.* Observa adverbia *προῖκα* et *ἀμισθί* h. l. cum genitivis *χρημάτων* et *δόξης* coniuncta similiter atque Thucydides II. 65 dixit *χρημάτων ἀδωρότατος*. Cf. Krüg. gr. §. 47. 26, 10. 11.

Cap. IV. §. 4 *μελλόντων δὲ χειροτονεῖν, ἐπετίμησε τοῖς Ἀθηναίοις· „Ὅτε μὲν γὰρ“ ἔφη „πιστῶς καὶ καλῶς ὑμῖν ἦρξα, προὐπηλακίσθην —“ „γάρ

gehört trotz seiner Stellung dem Gedanken nach zu ἔφη.“ Sinten. Quem usum quamvis alibi ipse quoque agnoscam, tamen in hunc aliosque similes locos transferri nolim. Nam dubium non est, quin *γάρ* particula in interrogationibus et responsionibus omninoque in citandis aliorum hominum dictis etiam apud Plutarchum saepe *ἐλλειπτικῶς* h. e. ita ponatur, ut ad aliquam vel negandi vel affirmandi voculam vel ad aliud aliquod verbum e superioribus repetendum referatur. Cuius rei certissima exempla sunt ea, in quibus particula *γάρ* ne potest quidem cum verbo dicendi coniungi, quippe quod orationi rectae aut omnino non addatur, ut Lys. 7 *τῶν δ' ἀξιούντων μὴ πολεμεῖν — καταγελᾶν ἐκέλευεν· „Ὅπου γὰρ ἡ λεοντῆ μὴ ἀφικνεῖται, προσραπτέον ἐκεῖ τὴν ἀλωπεκῆν“* Phoc. 14 Brut. 35, aut praemittatur, veluti Lyc. 15 *Ἐπιόντι γὰρ τῶν νεωτέρων τις ἕδρας οὐχ ὑπεῖξεν, αὐτῷ εἰπών· „Οὐδὲ γὰρ ἐμοὶ σὺ τὸν ὑπείξοντα γεγέννηκας* Alex. 32 (*λέγεται Παρμενίωνα*) *ἐρωτᾶν ὅ τι δὴ πεπονθὼς ὕπνον καθεύδοι νενικηκότος — · τὸν γοῦν Ἀλέξανδρον εἰπεῖν διαμειδιάσαντα· „Τί γάρ; οὐκ ἤδη σοι νενικηκέναι δοκοῦμεν —;“* Cic. 6. 25, 1. 2, aut postponatur, ut Syll. 26 *ἡσθεὶς δὲ τοῖς δώροις καὶ πυθόμενος ὡς ἐξ Ἁλαιῶν εἶεν, „Ἔτι γὰρ ζῇ τις Ἁλαιῶν;“ ἔφη* Alex. 39 *εἰπόντος τοῦ βασιλέως· „Ἐμοὶ δ' οὐ δίδως;“ „Οὐ γὰρ αἰτεῖς“ εἶπε.* aut denique ita interponatur, ut propter ipsam verborum structuram cum *γάρ* vocula connecti nequeat, veluti Them. 11 *τοῦ δ' Ἐρετριέως πειρωμένου λέγειν τι πρὸς αὐτόν „Ἦ γὰρ“ ἔφη „καὶ ὑμῖν περὶ πολέμου τίς ἐστι λόγος —;“* Cat. mai. 19 *πρὸς δὲ τοὺς θαυμάζοντας ὅτι πολλῶν ἀδόξων ἀνδριάντας ἐχόντων ἐκεῖνος οὐκ ἔχει „Μᾶλλον γὰρ“ ἔφη, „βούλομαι ζητεῖσθαι, διὰ τί μου ἀνδριὰς οὐ κεῖται ἢ διὰ τί κεῖται;“* (ad quem locum vid. ipse Sinten. ed. Weidm.) Timol. 15 Flamin. 17 Alex. 28. 58 Cic. 26 Demetr. 29. Quibus addi etiam eiusmodi loci possunt, quibus verbum dicendi interpositis aliis verbis a *γάρ* particula separatur, veluti Philop. 2 *ὁ δὲ ξένος — θεασάμενος „τί τοῦτο“ ἔφη „Φιλοποίμην“ „Τί γὰρ ἄλλο“ ἔφη δωρίζων ἐκεῖνος „ἢ κακὰς ὄψεως δίκας δίδωμι;“* Aem. Paul. 31 Philop. 17 Mar. 29 Crass. 12 (31) Ages. 2. 11 (Pomp. 57) Caes. 6 Demetr. 38 (Anton. 33), quamquam de hoc locorum genere, nisi accedat etiam constructionis ea quam dixi ratio, ut est Cam. 28 *πυνθανομένου δὲ τοῦ Σουλπικίου „Τί τοῦτο“ „Τί γὰρ ἄλλο“ εἶπεν „ἢ τοῖς νενικημένοις ὀδύνη;“* Aem. Paul. 10 Pelop. 23 Marc. 10 Alex. 42, dubitari quodammodo posse videbimus infra. Ad horum igitur locorum similitudinem etiam ceteros omnes explicandos esse censeo, nisi qui ellipticum illum usum vel prorsus respuere vel aegre admittere videantur. Ex quo genere sunt Pelop. 1 *Λακεδαιμονίοις δὲ καὶ ζῆν ἡδέως καὶ θνήσκειν ἀμφότερα ἀρετὴ παρεῖχεν, ὡς δηλοῖ τὸ ἐπικήδειον. „οἵδε“ γάρ φησιν „ἔθανον*

οὐ τὸ ζῆν θέμενοι καλὸν οὐδὲ τὸ θνήσκειν
Ἀλλὰ τὸ ταῦτα καλῶς ἀμφότερ' ἐκτελέσαι.“

ubi voculas *γάρ φησιν* si genuinae sunt (nam expunxerunt cum Anonymo Coraes et Schäferus cl. Mor. p. 110 B) ab ipso Plutarcho poëtae verbis insertas esse assentior Sintenisio ed. mai. ad h. l. et praef. ad Them. p. XIX; Marc. 21 *τὰ μὲν ἄλλα χρήματα καὶ τὸν πλοῦτον ἐξεφόρησε, τὰ δὲ ἀγάλματα μένειν εἴασεν ἐπειπὼν τὸ μνημονευόμενον· „Ἀπολείπωμεν γὰρ“ ἔφη „τοὺς θεοὺς τούτοις τοῖς Ταραντίνοις κεχολωμένους“* ubi si quid e superioribus supplere coneris, tautologia exsistet; Nic. 22 (*ἔφασκε*) *μᾶλλον αἱρεῖσθαι τὸν ὑπὸ τῶν πολεμίων θάνατον ἢ τὸν ὑπὸ τῶν πολιτῶν, οὐχ ὅμοια φρονῶν οἷς ὕστερον ὁ Βυζάντιος Λέων εἶπε πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ πολίτας· „Βούλομαι γὰρ“ ἔφη „μᾶλλον ὑφ' ὑμῶν ἢ μεθ' ὑμῶν ἀποθανεῖν“*, ubi vix elicias e superioribus quo *γάρ* vocula referri possit. Et his quidem locis Sintenisius ipsa interpunctione *γάρ* voculam ab oratione recta separandam et cum *ἔφη* nectendam esse significavit. Quod idem Bekkerus fecit etiam Rom. 19 Lyc. 19 Cim. 8 Luc. 27 Comp. Nic. c. Crass. 1 Ages. 12 Phoc. 30 Cat. min. 61 C. Gracch. 4 Demosth. 8 Cic. 14, quorum locorum fere omnium haec ratio est, ut per *γάρ* particulam inferatur dictum aliquod antea verbis quibusdam praesignificatum. Quamquam ex his quoque sunt quos dubites an etiam ex elliptico quem dixi usu explicari liceat. Sed prorsus ex hoc numero eximendos atque ad ellipticum dicendi genus revocandos puto eiusmodi locos, qualis est is de quo quaerimus Aristidis locus. Quo loco *γάρ* particula ad antegressum verbum *ἐπετίμησε* refertur sic, quasi idem verbum praecesserit ab initio orationis rectae. Quod etiam clarius apparebit, si sermonem rectum omisso verbo *ἔφη* converteris in obliquum: *ὅτε μὲν γὰρ πιστῶς καὶ καλῶς αὐτοῖς ἦρξε, προπηλακισθῆναι.* Cf. locum simillimum Cat. mai. 8 *ἐπετίμα δὲ τοῖς πολίταις τοὺς αὐτοὺς αἱρουμένοις πολλάκις ἄρχοντας· „Δόξετε γὰρ“ ἔφη „ἢ μὴ πολλοῦ τὸ ἄρχειν ἢ μὴ πολλοὺς τοῦ ἄρχειν ἀξίους ἡγεῖσθαι.“* Nec dissimiles sunt loci Pericl. 38 Timol. 7 Aem. Paul. 36 Marc. 25 Sull. 31 Luc. 14 Nic. 7 Caes. 17 Cat. min. 45. 49. 66, quibus locis omnibus ne Bekkerus quidem voculam *γάρ* ab oratione recta separavit. De interpunctione autem si quaerimus, etiam iis locis, quos e Sintenisii Bekkerique sententia interpretandos esse concedo, praestat fortasse, sicut Sintenisius plerisque locis fecit, vulgarem retinere interpunctionem h. e. intra sermonis recti cancellos ponere particulam, quam, etiamsi sententiae ratione habita ad interpositum verbum dicendi pertineat, externa tamen specie potius cum verbis citatis quam cum citandi verbo connecti ipsa collocatio verborum docere videtur. Quod idem ut ii confirmant loci, quibus *γάρ* particula subiicitur

eiusmodi a quibus **aegre divellatur vocabulis, veluti pronomini** *τί* Rom 19 Cat. min. 61 Cic. 14, ita omni dubitationi **exemptum putarem, si etiam** e locis supra citatis, quibus *γάρ* interpositis aliis verbis a dicendi verbo disiungitur, unum alterumve huc revocari liceret. **Quod non improbabiliter statueris** de locis eiusmodi, quales sunt Caes. 6 *Κάτλος Λουτάτιος — ἀναστὰς καὶ κατηγορήσας Καίσαρος ἐπεφθέγξατο τὸ μνημονευόμενον· „Οὐκ ἔτι γὰρ ὑπονόμοις“ ἔφη „ἀλλ’ ἤδη μηχαναῖς αἱρεῖ τὴν πολιτείαν.“* Mar. 29 *τῶν δὲ βελτίστων περιπαθούντων καὶ συντρεχόντων πρὸς τὸν Μέτελλον οὐκ εἴα στασιάζειν δι’ αὐτὸν, ἀλλ’ ἀπῆλθεν ἐκ τῆς πόλεως, ἔμφρονι λογισμῷ χρησάμενος· „Ἢ γὰρ ἀμεινόνων“ ἔφη „τῶν πραγμάτων γενομένων καὶ τοῦ δήμου μετανοήσαντος ἀφίξομαι παρακαλούμενος, ἢ μενόντων ὁμοίων ἀπηλλάχθαι κράτιστον.“* Crass. 12 *Ὀνάτιος Αὐρήλιος ἀναβὰς ἐπὶ τὸ βῆμα καὶ προελθὼν ὄψιν διηγεῖτο κατὰ τοὺς ὕπνους αὐτῷ γενομένην· „Ὁ γὰρ Ζεὺς“ ἔφη „μοι φανεὶς προσέταξεν εἰς κοινὸν εἰπεῖν —“.* Qui loci quamvis et aliam interpretationem admittant, tamen simillimi sunt iis, quibus Bekkerus *γάρ* cum *ἔφη* nectendum putavit. Ceterum tota hac quaestione facile supersedebunt, qui cum Hartungio de part. gr. I. p. 457 sqq. et Klotzio ad Devar. II. p. 230 sqq. voculae *γάρ*, utpote ex *γέ ἄρα* natae, etiam in interrogando et respondendo non caussalem, sed concludendi vel affirmandi vim tribuerint, quae tamen interpretatio non eum tulit virorum doctorum plausum, ut vulgarem illam iam missam fieri oporteret.

Cap. V. §. 4 *ὑπὸ τοῦ πνεύματος καὶ τῆς θαλάσσης εἴσω πρὸς τὴν Ἀττικὴν ἀποβιαζομένους.* Poterat ab interpretibus notari verbi *βιάζομαι* praesenti tempore passive positi usus, cuius exempla quaedam e Plutarchi vitis dedit Bähr. ad Philop. p. 19. Adde Thes. 11 *οἷς μὲν ἐβιάζοντο τοὺς ἄλλους ὑπ’ ἐκείνου καταβιαζομένους* Ibid. 24 *ἐβούλοντο πειθόμενοι μᾶλλον ἢ βιαζόμενοι ταῦτα συγχωρεῖν* Coriol. 16 *μηδὲν ἄκοντας βιάζεσθαι μηδὲ πείθεσθαι τοῖς ὑπάτοις* Pyrrh. 16 *παραβοηθῶν τοῖς ἐκβιάζεσθαι δοκοῦσιν* Lys. 6 *ἐκβιαζόμενος ὑπὸ τῆς ἀπορίας.* Quod autem Stephanus e libris nescio quibus enotaverat *ἀποβιβαζομένους*, id quum etiam apud Plutarchum semper valeat *e navi ad terram educere* (Timol. 17 Cim. 13 Luc. 12 Nic. 3) ab h. l. alienum est.

Cap. VI. §. 3 *δίκης δὲ καὶ θέμιδος οὐδὲν ὅτι μὴ τῷ φρονεῖν καὶ λογίζεσθαι τὸ θεῖον μεταλαγχάνει.* Pro *οὐδενί*, quod e Reiskii coniectura legebatur quodque etiam in codd. ADC inesse e solo Bährii silentio colligitur, recte nunc Sinten. (ed. Weidm. et Teubn.) et Bekk. restituerunt *οὐδέν* vel sublato hiatu commendatum. Sed quaeritur de verborum sententia. Et Reiskius quidem cum ceteris plerisque verbum *μεταλαγχάνειν* ex vulgari eius usu interpretabatur *par-*

ticipare, quae significatio quamquam potest etiam cum recepto nunc *οὐδέν* conciliari sic, ut accusativus eodem modo positus putetur, quo dicitur *οὐδὲν μέρος τινὸς μεταλαγχάνειν* vel *μεταλαμβάνειν* (cf. Stallbaum. ad Plat. Protag. p. 329 E), tamen non iniuria Corai h. l. parum commoda visa est. Nam quum paullo ante Plutarchus e tribus rebus, quibus numen divinum excellat, maxime venerabilem ac divinam virtutem esse demonstraturus, aeternitatem etiam in spatium vacuum rerumque elementa, potentiam etiam in terrae motus, fulgura, procellas, fluctus convenire dixerit, restare iam videtur, ut una virtus deo aut propria aut cum solis naturis intelligentibus communis esse dicatur. Et hoc quidem etiam magis quam illud dici exspectaveris, quandoquidem virtutis s. iustitiae laus et supra Aristidi contigisse dicebatur et infra sola ex omnibus dei laudibus in hominem cadere, hoc ipso autem loco in intelligendi facultate etiam hominibus concessa posita esse dicitur. Omnium autem minime exspectaveris eiusmodi sententiae conformationem, qua ipse deus omnium rerum auctor ac dispensator *participare* virtutem tamquam alienum bonum fingatur. Itaque Coraes consentientibus lexicographis nostris verbum *μεταλαγχάνειν* a Plutarcho similiter atque ab Aeliano Var. Hist. XII, 43 pro *μεταδιδόναι* positum putavit, quam interpretationem quamvis ille cum Reiskiana lectione ita coniunxerit, ut toti loco hanc sententiam subiectam esse censeret: *οὐδενὶ μεταδίδωσιν ὁ θεὸς δίκης καὶ θέμιδος πλὴν τῷ λογικῷ καὶ φρονίμῳ ζώῳ. τουτέστι τῷ ἀνθρώπῳ* vel *οὐδενὶ μεταδίδωσι δίκης ἢ διὰ τοῦ φρονεῖν καὶ λογίζεσθαι*, licet tamen eandem etiam cum altera scriptura consociare sic, ut numen divinum nullam virtutis partem (*keinerlei Antheil an der Tugend*) nisi per intelligendi facultatem concedere dicatur. Quam sententiam non erat quod reprehenderet Schäferus, qui quod dicit agi h. l. de natura summi numinis per se spectata, non quatenus ad homines referatur, neque quidquam incerti ambiguive in verbis inesse, nec cohaerentiam orationis nec vim verbi *μεταλαγχάνειν* satis expendisse videtur. Sintenisius autem quod eam quam Coraes verbo *μεταλαγχάνειν* tribuit significationem ipsius Plutarchi usu comprobari negat, id quamquam verum est, tamen quodammodo infirmatur eo, quod omnino rarissimus est eius verbi apud Plutarchum usus, siquidem Wyttenbachius in Ind. s. v. ex universis vitis hoc unum, e Moralibus autem duo tantum attulit exempla (p. 428 D 1102 C, quibus quod tertium addidit p. 114 C, errore nititur). Ceterum idem quod Coraes voluerat etiam Dacerius, a Kaltwassero citatus, quum *οὐδέν* pro nominativo, *τὸ θεῖον* autem pro accusativo e verbo *λογίζεσθαι* suspenso haberet totumque locum interpretaretur sic: *„mais pour la justice, rien n' y participe de tout ce qui n' est*

pas capable de raisonner et de connaître l'essence divine." Quod tamen ideo fieri nequit, quoniam *λογίζεσθαι* non valet *cognoscere aliquid*, sed pariter atque *φρονεῖν* absolute ponitur, ut Mor. p. 15 A 963 E 992 E, quibus locis eadem verba coniuncta leguntur ad significandam intelligendi ratiocinandique facultatem. Imo si quis *οὐδέν* nominativum esse defenderit, facilius, opinor, in hanc adducetur opinionem, ut verba *τὸ θεῖον* si non delenda, certe in *τῷ θείῳ*, quemadmodum frequens est apud Plutarchum *μετέχειν τινί τινος* (Rom. 21 Timol. 30 Alex. 52 Caes. 64 Cleom. 10 Anton. 10) vel in *παρὰ τοῦ θείου*, ut *μεταλαμβάνειν τινὸς παρά τινος* dicitur Cic. 20 (Demosth. III, 20) mutanda existimet. Verum praestat in Corais sententia, servato tamen *οὐδέν* pro *οὐδενί*, acquiescere, nisi quis vulgarem verbi *μεταλαγχάνειν* interpretationem ita tueri malit, ut deum ob id ipsum *ratiocinando participare virtutem* dici credat, ut eandem virtutis acquirendae viam etiam ad homines pertinere appareat.

Cap. VII. §. 3 *ὡς οὖν ὁ δῆμος ἔμελλεν ἐκφέρειν τὸ ὄστρακον.* Sintenisius quum olim (ed. crit. Arist.) vulgatam *ἐκφέρειν* contra Schäferum, qui malebat *εἰσφέρειν*, retinuisset, postea (ed. mai. Vitt.) *ἐπιφέρειν* scripsisset, nunc (ed. Weidm. et Teubn.) e codd. Fa L probante Bekkero edidit *φέρειν*, comparatis fortasse quae paullo infra leguntur *ὄστρακον ἕκαστος λαβὼν — ἔφερεν εἰς ἕνα τόπον τῆς ἀγορᾶς.* Sed ibi cives simpliciter dicuntur *portasse* testas in certum quemdam locum, quod idem valet etiam de sequentibus *εἰ γὰρ ἑξακισχιλίων ἐλάττονες οἱ γράψαντες εἶεν*, ubi pro *γράψαντες* in Fa rursus est *φέροντες*; nostro autem loco non valet *portare*, sed *uti contra aliquem testarum suffragiis*, quo sensu supra c. 1 et Alcib. 13 legitur *ἐπιφέρειν.* Itaque hoc praeferendum putaverim.

Cap. VIII. §. 1 *Θεμιστοκλέους στρατηγοῦντος αὐτοκράτορος.* „*Die Unumschränktheit des Them. scheint darin bestanden zu haben, dass er gegen die Sitte ohne Mitfeldherrn erwählt war: τοὺς μὲν ἄλλους ἑκόντας ἐκστῆναι τῆς στρατηγίας λέγουσιν ἐκπεπληγμένους τὸν κίνδυνον, Them.* 6" Sinten. Quam notam quum vir doctissimus etiam ad c. 11 conferri iubeat, ubi Aristides *στρατηγὸς αὐτοκράτωρ* adversus Mardonium missus esse narratur, etiam de huius imperio similiter statuisse videtur. Sed Aristidem imperii collegas, in his Leocratem et Myronidem habuisse, testatur Plutarchus ipse infra c. 20 *εἰ μὴ πολλὰ παρηγορῶν καὶ διδάσκων τοὺς συστρατήγους ὁ Ἀριστείδης, μάλιστα δὲ Λεωκράτη καὶ Μυρωνίδην, ἔσχε καὶ συνέπεισε* cl. c. 16 *οἱ μὲν οὖν ἄλλοι στρατηγοὶ τῶν Ἀθηναίων* et Comp. Arist. c. Cat. 2 *Ἀριστείδης μὲν ἐν Μαραθῶνι καὶ πάλιν ἐν Πλαταιαῖς δέκατος ἦν στρατηγός.* Quamobrem erunt fortasse, qui Aristidem propterea *αὐτοκράτορα* dici existiment, quod ille imperium non, sicuti de Miltiade

proditum est (supra c. 5), cum collegis partitus sit sic, ut singuli singulis diebus imperarent, sed ipse gesserit solus ceterosque praetores non tam socios quam administros imperii habuerit. Sed aliam viam monstrare videntur quae de Nicia, Alcibiade et Lamacho cum summa potestate in Siciliam missis traduntur. Hi enim quum iam electi essent imperatores, postea auctore Demostrato impetrarunt etiam hoc, ut *αὐτοκράτορες* h. e. cum maiore potestate quam quae vulgo imperatoribus tribui soleret, mitterentur. Scilicet permissum illis est populiscito, ut quaecunque et ad apparatum belli et ad ipsum bellum gerendum pertinerent, ipsi pro suo arbitrio decernerent. Cf. Thuc. VI. 26 *ἐψηφίσαντο εὐθὺς αὐτοκράτορας εἶναι καὶ περὶ στρατιᾶς πλήθους καὶ περὶ τοῦ παντὸς πλοῦ τοὺς στρατηγοὺς προστάσσειν ᾗ ἂν αὐτοῖς δοκῇ ἄριστα εἶναι τοῖς Ἀθηναίοις.* Plut. Nic. 12 *ψήφισμα γράψας (ὁ Δημόστρατος) ὅπως αὐτοκράτορες ὦσιν οἱ στρατηγοὶ κἀνταῦθα κἀκεῖ βουλευόμενοι καὶ πράττοντες.* Alcib. 18 *ἔγραψε τῶν ῥητόρων Δημόστρατος καὶ εἶπεν ὡς χρὴ τοὺς στρατηγοὺς αὐτοκράτορας εἶναι καὶ τῆς παρασκευῆς καὶ τοῦ πολέμου παντός.* Diod. Sic. XIII. 2 *ᾑρημένοι δὲ τρεῖς στρατηγοὺς Ἀλκιβιάδην, Νικίαν καὶ Λάμαχον αὐτοκράτορας αὐτοὺς κατέστησαν πάντων τῶν κατὰ τὸν πόλεμον.* Atque eandem illam explicationem etiam in eiusmodi locos convenire, quibus unus tantum imperator electus esse narratur, ut is quoque *αὐτοκράτωρ* appellatus sit, non tam quod solus, quam quod cum summa potestate imperaret, docere videtur l. Xenoph. Hell. I. 4, 20, ubi idem ille Alcibiades in patriam redux dicitur *ἀναρρηθεὶς ἁπάντων ἡγεμὼν αὐτοκράτωρ, ὡς οἷός τε ὢν σῶσαι τὴν προτέραν τῆς πόλεως δύναμιν.* Cf. Corn. Nep. Alcib. 7, qui petenti demum Alcibiadi collegas duos, Thrasybulum et Adimantum, additos esse scribit. Nec tamen negaverim, eum qui solus imperaret, vel ob id ipsum *αὐτοκράτορα* dici potuisse, quemadmodum Xenoph. An. VI, 1 (V, 9), 21 *αὐτοκράτωρ ἄρχων* dicitur, qui paullo ante c. 18 *εἷς ἄρχων* appellatus esset.

Cap. IX. §. 4 *μὴ κατακλεισθεὶς ἀπορίᾳ φυγῆς μετὰ τοσαύτης δυνάμεως τραπῇ πρὸς ἄμυναν ὑπ' ἀνάγκης.* Recte Sinten. et Bekk. repudiarunt quod pro *τραπῇ* in Fa L Vulc. legitur *τρέψηται*, qui aoristus apud Plutarchum quoque non legitur nisi sic, ut sit *a se avertere, fugare.* Verumtamen pro illo si qui libri suppeditarent alterum aoristum medii *τράπηται*, lubens amplecterer. Cf. similem dictionem *τραπέσθαι πρὸς ἀλκήν* et id genus alias Pelop. 29 Cleom. 17 Anton. 34 (Herod. III, 78. IV, 125). Dubia res est, ubi praesens vel imperfectnm ponitur, ut infra c. 18 Arat. 32 et duobus locis nostro simillimis Philop. 10 *θηρίῳ πρὸς ἀλκὴν ὑπ' ἀνάγκης τρεπομένῳ* Demetr. 18 *ἐγκλειόμενος ὥσπερ θηρίον ὁ Δημή-*

τριος — ὑπ᾽ ἀνάγκης τρέπεται πρὸς ἀλκήν, quamquam hic quoque medium quam passivum agnoscere malim. Cf. Bähr. ad Philop. p. 41 Popp. ad Thuc. II, 84.

Cap. XI. §. 7 *διὰ τὰς ὑπωρείας τοῦ Κιθαιρῶνος ἄφιππα ποιούσας τὰ καταλήγοντα καὶ συγκυροῦντα τοῦ πεδίου πρὸς τὸ ἱερόν*. Ad haec Schäferus „*συγκυροῦντα τοῦ πεδίου*, *notabilis constructio huius compositi*“, ut videatur genitivum e verbo *συγκυρεῖν* suspensum habuisse. At suspensus ille est e participiis substantive positis *τὰ καταλήγοντα καὶ συγκυροῦντα*, ut Fab. Max. 6 *τὰ καταλήγοντα τῆς Καμπανίας*, additum autem *πρὸς τὸ ἱερόν* pendet e verbo *συγκυρεῖν* vel ex utroque verbo coniuncto, siquidem etiam *καταλήγειν πρός τι* dicitur Aem. Paul. 6 *τὰ ἔσχατα τῆς Ἰταλίας καὶ καταλήγοντα πρὸς τὰς Ἄλπεις* Pelop. 16 *πρὸς αὐτὸ* (*τὸ ὄρος*) *καταλήγουσιν αἱ τοῦ Μέλανος διαχύσεις*. Adde locum nostro simillimum Pomp. 35 *νέμονται δὲ τοῦ Καυκάσου τὰ καθήκοντα πρὸς τὴν Ὑρκανίαν θάλασσαν*.

Cap. XIII. §. 1 *ἄνδρες ἐξ οἴκων ἐπιφανῶν καὶ χρημάτων μεγάλων πένητες ὑπὸ τοῦ πολέμου γεγονότες*. „*Die Beziehung der Praepos. ἐξ zu den beiden Genit. ist eine ungleiche; ἐξ οἴκων bezeichnet Abstammung, ἐκ χρημάτων π.γ. ist = ἐκ πλουσίων π. γ.*“ Sinten. Ingeniosa haec est, sed paullo artificiosior explicatio, quamobrem nescio an verba *ἐξ οἴκων ἐπιφ. καὶ χρημ. μεγ.* ad solum subiectum orationis referenda sint, nulla dum ratione praedicati (*πεν. γεγ.*) habita, ita quidem, ut alter genitivus non e vocula *ἐξ*, sed ex ipso nomine *ἄνδρες* pendeat: *Männer aus angesehenen Familien und von grossem Vermögen*. Cf. Pelop. 8 *ἄνδρες οἴκων τε πρώτων* Mar. 9 *ἀνθρώπους οἴκων ἐπιφανῶν*. Alia autem ratio est loci Cat. mai. 15 *τοῦτον* (*τὸν Σκηπίωνα*) *μὲν οὖν ἀπ᾽ οἴκου τε μεγάλου καὶ φρονήματος ἀληθινοῦ ποιησάμενον ὑπὸ πόδας τὰς διαβολάς*, ubi praepositio ad utrumque nomen refertur sic, ut instrumentum significet, quo usus Scipio contempserit adversariorum calumnias.

Ibid. §. 2 *αἰσθόμενος ὁ Ἀριστείδης ἔγνω μήτ᾽ ἐᾶν ἀμελούμενον τὸ πρᾶγμα μήθ᾽ ἅπαν ἐκκαλύπτειν, ἀγνοούμενον εἰς ὅσον ἐκβήσεται πλῆθος ὁ ἔλεγχος, τὸν τοῦ δικαίου ζητῶν ὅρον ἀντὶ τοῦ συμφέροντος*. „*ἀγνοούμενον kann übersetzt werden: von der, oder da man nicht wisse, ist aber nicht als Casus absol., sondern in enger Beziehung zu πρᾶγμα zu fassen.*“ Sinten. Sed cum *πρᾶγμα* tum demum recte iungeretur, si etiam sequentia eodem referrentur. Nam quum recte dicatur *τὸ πρᾶγμα ἀγνοεῖται εἰς ὅσον πλῆθος ἐκβήσεται*, non recte dicitur addito *ὁ ἔλεγχος*. Itaque Schäfero assentior casum absolutum agnoscenti et ad Bernhard. Syntaxin p. 471 sq. provocanti. Rectissime autem Sintenisius sprevit et vulgatum *ἀγνοοῦντας*, nunc etiam in codd. Fa L

repertum, pro quo potius *ἀγνοῶν* requirebatur, ad Aristidem illud quidem referendum, et vero etiam *ἀγνοουμένου* Anonymi et Mureti, quod et hiatu et ipso usu sermonis graeci (Buttm. gr. §. 145 adn. 10) refellitur. Ceterum extrema verba non verterim cum eodem viro docto, „*des Nutzens wegen dem Rechte eine Schranke setzen*“ sed „*dem Rechte lieber als dem öffentlichen Besten eine Schranke setzen.*“ Nam *ἀντὶ τοῦ συμφέροντος* per notam breviloquentiam dictum est pro *ἀντὶ τοῦ ὅρου τοῦ συμφέροντος*.

Cap. XV. §. 3 *μάντεις ἐκεῖνον ἀπαισίοις ἱεροῖς καὶ λογίοις χρησμῶν εἴργουσι μάχης*. „*notabilis locutio. Satis erat scripsisse aut λογίοις aut χρησμοῖς*“ Schäfer. Scilicet quemadmodum Thucyd. II. 8 utrumque vocabulum distinxit, similiter etiam Plutarchus fecit Pelop. 20 Lys. 25 Mor. p. 235 F. Qui loci demonstrant, non ita illa inter se differre, quemadmodum volunt Schol. ad. Thuc. l. c. et Suidas s. v. *λόγια*, ut alterum oracula prosa oratione, alterum versibus edita significet, sed ut *λόγια* sint vaticinia cuiusque generis, *χρησμοί* autem oracula proprie dicta. V. Interpp. ad. Thuc. l. l. Unde apparet etiam vocabulum generis recte definiri potuisse addito nomine speciali.

Cap. XVI. §. 4 *ὁ δ᾽ ἀγὼν οὐχ ὑπὲρ χώρας καὶ πόλεως μόνον, ὡς ἐκείνοις, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῶν ἐν Μαραθῶνι καὶ Σαλαμῖνι τροπαίων*. Sintenisius praeeunte Xylandro interpretatur *τοῖς Σπαρτιάταις*, sed rectius, opinor, Schäferus *τοῖς Μαραθωνομάχαις*. Quemadmodum enim Athenienses paullo ante e barbaris eos, qui olim apud Marathonem contra se stetissent, cum iis, qui nunc contra se starent comparaverant, ita nunc e popularibus suis eos, qui olim cum Persis conflictati sint, cum iis, qui hodie cum iisdem conflictaturi sint, h. e. cum semet ipsis comparant. Et barbaros quidem, qui nunc sint, superioribus non meliores, sed pariter atque illos et corpore habituque molli et animo ignavo esse aiunt; se vero qui nunc sint Athenienses, non solum arma et corpora eadem h. e. aeque fortia, atque superiores cives habere, sed etiam hoc illis praestare, quod ipsa victoria animus sibi creverit, quodque sibi non solum, sicuti illis, pro terra et urbe patria, verum etiam pro obtinendis tropaeis olim constitutis sit propugnandum. Atque apparet etiam verba *οὐχ ὑπὲρ χώρας καὶ πόλεως μόνον* minus commode ad Lacedaemonios vel ad ceteros Graecos referri quam ad ipsos Athenienses, quippe quibus et olim, quum barbari ad Marathonem appulissent, et nunc quoque, quum in ipsis Atticae confiniis pugnaretur, multo magis quam ceteris omnibus pro terra et urbe sua propugnandum fuerit. Nec dubitari potest, quin pronomen *ἐκείνοις* recte referatur ad *τοὺς Μαραθωνομάχας*, quippe

quorum cogitatio ex universa orationis serie maximeque e superioribus τῶν ἐν Μαραθῶνι, quae a barbaris etiam ad Graecos transferenda sunt, facillime repetatur. Quod autem *Xylander* contra *Barbarum* vertentem *ut maiores nostri* negaverat *maiores* recte dici in paucorum annorum intervallo, levissimum est, siquidem de re quaeritur, non de verbo, quo facile carebis, etiamsi ἐκείνοις ad Marathonios retuleris. Spartanorum autem praeter superiora illa διημείβοντο τοῖς Σπαρτιάταις τὴν τάξιν, quae ad mutuos Atheniensium sermones nihil pertinent, ne mentio quidem iniecta est. Denique de Persis praeter *Dacerium* et *Coraem* nemo facile cogitaverit.

Cap. XVII. §. 1 Λακεδαιμονίοις δὲ συνέβη μὲν ἄκουσι μόνοις ἀπολείπεσθαι τῶν ἄλλων. In his Sintenisius quum voculam μέν otiosam et ineptam esse nec tamen deleri posse propter hiatum intellexisset, pro συνέβη μέν optime coniecit συνέβαινεν. Quod verum esse vel infinitivus ἀπολείπεσθαι confirmat, quandoquidem apud Plutarchum post συνέβη multo frequentius Infin. Aoristi (Cam. 35 Pericl. 35 Fab. Max. 7 Alc. 21 Tim. 11. 30, 4 Aem. Paul. 1 Arist. 10 Philop. 14 Comp. Philop. c. Flam. 3 Cim. 19 cet.) quam Infin. Praesentis (Arist. 7 Luc. 29 Eum. 13 fin. Demosth. 6 Demetr. 38 Brut. 20), post συνέβαινε autem locis quos notavi omnibus (Tim. 30, 5 Cam. 8 Sert. 13 Comp. Eum. c. Sert. 2 Ages. 9 Agid. 6 C. Gracch. 12 Demosth. 2 Dion. 54) Infin. Praesentis subiicitur. — Quod autem pro ἀπολείπεσθαι vulgo legebatur ἀπολιπέσθαι, quum dudum tolli deberet ut soloecum, pro quo saltem ἀπολειφθῆναι requirebatur, tandem e fide codd. C Fa sustulerunt Sinten. (ed. Teubn. et Weidm.) et Bekkerus.

Ibid. §. 2 Ἀμομφάρετος — ἔκπαλαι πρὸς τὴν μάχην σπαργῶν καὶ βαρυνόμενος τὰς πολλὰς ἀναβολὰς καὶ μελλήσεις, τότε δὲ παντάπασι τὴν μετανάστασιν φυγὴν ἀποκαλῶν καὶ ἀπόδρασιν, οὐκ ἔφη λείψειν τὴν τάξιν. Pro τότε δέ Sinten. (ed. Weidm. et Teubn.) et Bekk. e Codd. C Fa L ediderunt τότε δή, quod quam recte factum sit, dubium sane videri possit. Nam vocularum τότε δή apud Plutarchum propria sedes est aut in principio periodi, ut Cim. 8 Pomp. 22 (nam Pelop. 23 Alex. 42 nunc rectius editum τότε δέ); aut in apodosi, ubi ad antegressam protasin referuntur sic, ut valeant *tum igitur, tum vero*, veluti Arat. 43 ἐπεὶ δὲ — ἠρώτησεν εἰ δοκεῖ —, τοῦ δὲ — φήσαντος ἐκέλευσε —, τότε δὴ τὸν Ἄρατον — γέλως ἔλαβε, et addita eadem illa quae nostro loco subiicitur particula παντάπασι Timol. 5 ἐπεὶ δὲ — ἐβάδιζε παραμυθησόμενος, ἡ δὲ — ἀπέκλεισε, τότε δὴ παντάπασι περίλυπος γενόμενος — ὥρμησε Galb. 6 ἐπεὶ δὲ — συνέρραξαν καὶ — διῆλθε λόγος, ὡς

βουλομένων —, τότε δὴ παντάπασι περίφοβος γενόμενος ὁ Γάλβας ἔγραψε cf. Flamin. 5 ubi quod inverso ordine legebatur παντάπασι δὴ τότε, Sinten. e cod. A correxit in παντάπασιν ἤδη τότε; aut denique in media orationis serie, ubi verteris *eo ipso tempore, grade damals*, veluti Marc. 3 θαυμαστὸν μὲν ἐδόκει — ὥσπερ ἐφεδρείαν εἰληφότας τοὺς Γαλάτας, ὀρθῶς καὶ δικαίως ἀτρεμήσαντας μαχομένων ἐκείνων, οὕτω τότε δὴ τοῖς νενικηκόσιν ἐπαποδύεσθαι Alex. 48 καὶ τότε δὴ τὸ σεμνὸν καὶ ὑψηλὸν — μιμούμενος — ὑποψίαν καὶ φόβον παρέσχεν Cleom. 27 καὶ τότε δὴ πολὺς ἄνωθεν Ἰλλυριῶν ἐμβεβλήκει στρατός, et additis rursus particulis παντάπασι vel μάλιστα Cleom. 3 τοὺς πολίτας τότε δὴ παντάπασιν ἐκλελυμένους ἑώρα Mar. 18 συσκευασάμενοι παρήμειβον τὸ στρατόπεδον τῶν Ῥωμαίων, τότε δὴ μάλιστα παμπληθεῖς — φανέντες Sert. 20 μηχανῆς γὰρ ἐπὶ τοὺς βαρβάρους ἐστέρητο θαυμαστῆς, τότε δὴ μάλιστα παραμυθίας δεομένους Agid. 10 ὁ δὲ Λεωνίδας τότε δὴ μάλιστα πρὸς τοὐναντίον ἐφιλονείκησε. Nunquam autem, quod sciam, apud Plutarchum leguntur sic, quemadmodum h. l. fieri videtur, ut opponantur alicui sententiae superiori. Contra de δέ particula eo minus dubitari posse videtur, quo facilius post ἔκπαλαι etiam μέν voculam addi potuisse apparet. Cf. Sull. 3 ὁ δὲ Βόκχος ἐτύγχανε μὲν ἔτι γε πάλαι γαμβρὸν ὄντα μισῶν καὶ φοβούμενος τὸν Ἰογόρθαν, τότε δὲ ἡττημένῳ καὶ πεφευγότι πρὸς αὐτὸν ἐπιβουλεύων ἐκάλει τὸν Σύλλαν cf. Aem. Paul. 26 Pyrrh. 3 Pomp. 32 Demetr. 44. Verum tamen quum post ἔκπαλαι non addita sit particula μέν, nescio an sic defendi possit optimorum librorum lectio, ut δή voculam non alterum participium alteri opponere, sed ad verbum finitum οὐκ ἔφη λείψειν referri dicamus. Quod etiam clarius apparebit, si participium ἀποκαλῶν aut omiseris aut ipsum quoque in verbum finitum mutaveris.

Ibid. §. 5 ἔλαθε δ᾽ αὐτόν — σύνθημα δοῦναι τοῖς Ἕλλησιν. Notabilis hic est verbi λανθάνω usus, quo cum accusativo personae et infinitivo ponitur sic, ut sit *fugit me s. oblitus sum aliquid facere.* Cuius structurae alia duo reperi apud Plutarchum ipsum exempla: Pelop. 11 ἔλαθε δ᾽ αὐτὸν καταβαλεῖν τὰ λύχνα Pomp. 42 τὸν γὰρ ἐγκέφαλον ἔλαθεν ἐκτῆξαι τοὺς θεραπεύοντας. Quod autem ante infinitivum Sintenisius (ed. Teubn. et Weidm.) et Bekkerus e codd. Fa L addiderunt voculam μή, id quamquam ad verborum κωλύειν, ἀρνεῖσθαι al. similitudinem fieri potuit, tamen quoniam in verbo λανθάνειν exemplis carere videtur (certe non additur locis antea citatis) paullo audacius factum putaverim.

Cap. XIX. §. 1 Κᾶρα δὲ ἕτερον εἰς Τροφωνίου. Praeter Herod. VIII.

135 a Sintenisio citatum comparari etiam potuit Pausan. IX. 23, 6 atque ipsius Plutarchi lib. de orac. def. p. 412 A. Et Pausanias quidem sua ex Herodoto hausit, Plutarchus autem utroque loco (quantum quidem ex Moralium loco misere corrupto iudicari licet) duabus rebus ab Herodoto dissentit, primum quidem quod alterum oraculum, quod Carica dialecto datum esse narratur, non ab Apolline Ptoo, apud Herodotum et Pausaniam memorato, sed a Trophonii oraculo, quod Lebadeae fuit, editum esse refert (quamquam Moralium quidem locum ex Herodoti sententia corrigere tentarunt Reiskius et Wyttenbachius), deinde vero quod ad Amphiarai templum non, ut est apud Herod. VIII. 134, eundem illum hominem Carem, qui ad Trophonii vel Apollinis Ptoi oraculum missus fuerit, sed alium eumque Lydum missum esse refert. Ceterum quod oraculum sive Trophonii sive Apollinis Ptoi homini Cari lingua Carica respondisse fertur, id Thebanis haud dubie ideo mirabile visum est, quia deorum in edendis oraculis ministri vulgo non iis linguis, quae consulentibus quibusque patriae essent, sed graeca lingua uterentur. Cf. Valcken. ad Herod. l. c.

Ibid. §. 3 *γεγενημένης γὰρ τῆς τροπῆς ἧκεν αὐτοῖς ἄγγελος πολιορκεῖσθαι τὸ βαρβαρικόν*. Pro *γάρ* Sintenisius nunc (ed. Teubn. et Weidm.), praeeunte Schäfero et probante etiam Bekkero ex uno cod. C edidit *δέ*, quod eo magis mireris, quo rectius vir egregius vulgatam defendisset in ed. crit. Arist. Scilicet caussam Plutarchus adfert, cur tantummodo in pugna ipsa hostes occisos esse dixerit.

Ibid. §. 4 *ὥς φησι Κλείδημος*. Omisit hunc Sinten. in disputatione de huius vitae fontibus editioni Weidm. praemissa p. 18, sed dixit de eo in commentario ampl. ad Them. c. 10.

Cap. XX. §. 2 *Θεογείτων μὲν ὁ Μεγαρεὺς εἶπεν, ὡς ἑτέρᾳ πόλει δοτέον εἴη τὸ ἀριστεῖον*. „*Al. οὐδετέρᾳ. Quod miror cuiquam placere potuisse; ἑτέρᾳ solum enim probant sequentia. Sed prorsus improbandum quod Reiskio in mentem venit ἑκατέρᾳ. Quasi vero ἀριστεῖον dici possit quod plures una urbes accipiunt.*“ Schäfer. Qui de Reiskiano quidem commento rectissime iudicavit; quod autem solum *ἑτέρᾳ*, non *οὐδετέρᾳ* sequentibus probari dicit, in hac opinione fuisse videtur, ut utrumque diversum quiddam significare crederet. Atqui utrumque eodem redit. Nam perinde est, sive *neutri* civitati h. e. neque Lacedaemoniis neque Atheniensibus, sive *alii* civitati, scilicet praeter illas duas, praemium dandum esse dixerit Theogiton. Nisi forte Schäferus *ἑτέρᾳ* interpretatus est *alterutri*, quod cum articulo dicendum

fuit *τῇ ἑτέρᾳ*, ut erat supra c. 7 *δῆλος ἦν τὸν ἕτερον γράψων*. Eademque significatio sequentibus non probatur, sed improbatur vel maxime. Nam si alterutri civitati praemium daretur, neque dissidia domestica caveri poterant, quae Theogiton hoc uno modo caveri posse ait, neque Cleocritus aut Corinthios appellaturus esse credi, aut Plataeenses appellare potuit. Nam is inceptam a Theogitone orationem sic continuavit, ut quum ille alii urbi palmam tribuendam esse dixisset, ipse iam quamnam potissimum ex aliis urbibus eligi vellet, significaret. Itaque quum per se spectatum utrumque pronomen recte habeat, tamen propterea quod *οὐδετέρᾳ* sola Mureti et Anonymi coniectura, *ἑτέρᾳ* autem librorum omnium auctoritate nititur, quodque idem pronomen etiam faciliorem aditum ad Cleocriti orationem parat, potius Sintenisio hoc ipsum tuenti, quam Bekkero alterum reponenti assentior.

Ibid. §. 5 *Ἀράμενοι δὲ αὐτὸν οἱ Πλαταιεῖς ἔθαψαν ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Εὐκλείας Ἀρτέμιδος*. *Ἀγάμενοι* quod in Fa L Vulc. est pro *ἀράμενοι*, Sinten. quum antea (usque ad ed. Weidm. 2) cum Reiskio sprevisset, nuperrime (ed. Teubn. 2) praeeuntibus Bryano et Schäfero cum Bekkero recepit. Ego vero ut etiamnunc vulgatam scripturam retineam, his duabus moveor caussis, primum quod Plutarchum de admiratione subito oborta pro *ἀγάμενοι* potius *ἀγασθέντες* ac praeterea pro simplici pronomine *αὐτόν* paullo explicatius, ut alibi fere solet, *αὐτοῦ τὴν ἀνδραγαθίαν* vel simile quid scripturum fuisse puto, deinde vero quod antiquae orationis simplicitati convenientius videtur, ut qui humi procubuisset homo, prius sublatus quam sepultus esse dicatur.

Cap. XXV. §. 2 *καθ᾽ ὅλου ὁ Θεόφραστός φησι, τὸν ἄνδρα τοῦτον περὶ τὰ οἰκεῖα καὶ τοὺς πολίτας ἄκρως ὄντα δίκαιον ἐν τοῖς κοινοῖς πολλὰ πρᾶξαι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς πατρίδος ὡς συχνῆς ἀδικίας δεομένης*. Pro *δεομένης* Codd. Fa L habent Stephanianum *δεομένην* a Reiskio quoque servatum. Quod etsi spreverunt recentiores éditores, ego vel ideo praeferendum puto, quoniam patria per se spectata parum commode dicitur multam iniuriam requirere. Sed paullo difficilior quaestio est de vocabulo *ὑπόθεσις*. Quod quum proprie significet *τὸ ὑποκείμενον* h. e. id quod alicui rei tamquam fundamentum subiectum est, apud Plutarchum quidem (is enim quamquam h. l. non suis, sed Theophrasti verbis utitur, tamen loci a se citati optimus interpres habendus est) frequenti ac constanti usu legitur sic, ut aut *sumptionem* s. suppositionem logicam, quae pro principio disputationis ponitur, veluti Lys. 25, 4 *τὴν δὲ ὅλην ἐπιβουλὴν καὶ σκευωρίαν τοῦ πλάσματος — πολλὰς καὶ μεγάλας ὑποθέσεις ὥσπερ ἐν διαγράμματι μαθηματικῷ προσλαβοῦσαν* et saepius in Moralibus (p. 418 D 689 C 720 E 721 D

1075 D 1077 F 1028 A C), aut *materiam s. argumentum orationis* vel disputationis vel carminis, ut Pomp. 42 τὸν ἀγῶνα τὸν πάτριον ἐθεάσατο τῶν ποιητῶν ὑπόθεσιν μίαν ἔχοντα τὰς ἐκείνου πράξεις Lys. 25, 1 Alex. 17. 53 Caes. 54 Demosth. 8. 13. 22. 31 Cic. 25 Mor. p. 7 A 14 E 19 F 20 A 25 B 40 E bis 44 E 45 A al., aut *consilium s. finem propositum*, veluti Timol. 2 τῆς στρατηγίας ὑπόθεσιν τὴν τυραννίδα πεποιημένος Lyc. 31 Cam. 26 Luc. 24 Comp. Nic. c. Crass. 4 Caes. 28. 51 Agid. 2 Ti. Gracch. 9 Comp. Agid. c. Gracch. 5 Demosth. 12 Cic. 12 Brut. 28 Artax. 8 Arat. 35. 43 Mor. p. 822 C, aut *materiam s. opportunitatem rei gerendae*, ut Pyrrh. 13 ἔλαβε πραγμάτων καινῶν τοιαύτην ὑπόθεσιν ib. 22 Comp. Pelop. c. Marc. 3 Philop. 4 Flamin. 15 Luc. 5 Sertor. 9 Pomp. 49 Demosth. 8 Artax. 28 Arat. 15. 18, aut denique simpliciter *caussam alicuius rei* significet, velut Cic. 37 Πομπηΐου ἔνδοξον καὶ καλὴν ὑπόθεσιν πρὸς τὸν πόλεμον ἔχοντος Mar. 31 Sull. 4. 6 Brut. 4. Cf. Bähr. ad Pyrrh. p. 174 sq. Held. ad Timol. p. 314 Schömann. ad Agid. p. 89. Verumtamen his omnibus vocabuli significationibus ad nostrum locum illustrandum parum proficimus. Nam quae una ceteris aptior videri possit consilii s. finis propositi significatio, ea parum convenit cum genitivo τῆς πατρίδος, quandoquidem ὑπόθεσις hoc sensu positum non tam genitivum personae (quod non fieri videtur, nisi in formula ἐξεργάσασθαι τὴν ἑαυτοῦ ὑπόθεσιν *assequi consilium suum* Lucull. 24), quam genitivum eius rei s. actionis, cui quid propositum est, adsciscere solet. Atque hinc factum est, ut interpretes ad reconditiores quasdam confugerent vocabuli interpretationes. Et Reiskius quidem interpretatus est *utilitatem* (*Interesse*), quae significatio quamvis et lectioni Stephanianae et ipsi verborum sententiae optime conveniat, siquidem paullo infra similiter inter se opponuntur δίκαιον et συμφέρον, tamen Plutarchi quidem dicendi usu non comprobatur. Schaeferi autem sententia πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τ. πατρ. interpretantis ἃ ὑπετίθει ἡ πατρίς i. e. ὑπέβαλε „*nach der Eingebung, dem Rathe des Vaterlandes*,“ etsi quodammodo confirmatur loco Sull. 5, ubi praestigiator quidam dicitur πρὸς τὰς ὑποθέσεις τῆς τέχνης τὴν φύσιν ἐπισκέψασθαι, h. e. ad artis praecepta cl. Polyb. II. 48, 8, ubi coniuncta leguntur κατὰ τὰς ἐντολὰς καὶ τὰς ὑποθέσεις, tamen vel ideo displicet, quod stare non potest nisi cum altera scriptura δεομένης. Malim igitur cum *Casaubono* (ad Polyb. I, 10 T. I p. 786 ed. *Ern.*) a *Wyttenbachio* in Ind. s. v. citato interpretari *institutum patriae*, quemadmodum Pyrrh. 9 legitur ἡ τῆς πλεονεξίας ὑπόθεσις, quod *Cruserius* interpretatur *cupiditatis institutum*. Quamquam ne hunc quidem vocabuli usum satis certum, nec quale tandem significetur patriae institutum, satis manifestum esse putaverim. Planissima autem

erit totius loci explicatio, si pro πατρίδος aliud quoddam vocabulum substitueris, veluti πολιτείας, quo nihil frequentius apud Plutarchum legitur cum ὑπόθεσις coniunctum. Cf. Lyc. 31 ταύτην καὶ Πλάτων ἔλαβε τῆς πολιτείας ὑπόθεσιν Caes. 51 διὰ τὴν ὑπόθεσιν τῆς πολιτείας Agid. 3 καλλίστην τῆς πολιτείας ὑπόθεσιν λαβόντας Demosth. 12 λαβὼν δὲ τῆς πολιτείας καλὴν ὑπόθεσιν Arat. 43 πρώτην εἰληφότα μεγίστην ὑπόθεσιν τῆς πολιτείας τὴν πρὸς Ἀντίγονον ἔχθραν, quibus locis omnibus significatur *reipublicae administrandae consilium*. Nec dubitari potest, quin quod Aristides in gerenda republica proposuit sibi consilium, quippe quod ad augendam patriae gloriam potentiamque spectaret, rectissime multam iniuriam postulare dicatur. Verumtamen in summo librorum consensu et multiplici vocabuli ὑπόθεσις usu nihil novare ausim.

Ceterum de universa sententia, quam de Aristidis ingenio a Theophrasto dictam refert h. l. Plutarchus, Schäferus sic existimavit, ut Aristidem, si talis fuisset, qualem ille fuisse dicit, etiam Themistoclis consilium supra c. 22 memoratum probaturum fuisse, si populus iussisset, statueret. Sed aliquid tamen veri sententiae illi subesse, Schäferus quoque concessit, quum conferri iuberet, quae paullo infra sequuntur εἰπεῖν ἐκεῖνον, ὡς οὐ δίκαιον, συμφέρον δὲ τοῦτ᾽ ἔστι adderetque illorum temporum heroes non e verioris ethices praeceptis censendos esse. Ac praeter ea, quae hoc ipso capite leguntur, fidem Theophrasto etiam illa faciunt, quae supra c. 13 legebantur similia τὸν τοῦ δικαίου ὅρον ζητῶν ἀντὶ τοῦ συμφέροντος.

Ibid. §. 4 πολλάκις αὐτοῦ τῆς παρ᾽ ὑμῖν δυνάμεως ἀπολελαυκώς. Ad haec quod adnotat Sinten. „*der von ihm sich seinen Einfluss bei euch zu nutze gemacht hat; nicht* = τῆς παρ᾽ ὑμῖν δυν. αὐτοῦ“, ego ita cum illo dissentio, ut non utrumque genitivum e verbo ἀπολελαυκώς, sed genitivum pronominis ab altero genitivo suspensum, et ob id ipsum, quod vim habet partitivam a Sintenisio significatam, alteri praemissum esse censeam. Cf. Cat. min. 49 πολλὰ τῆς τοῦ Κάτωνος ἐν τῇ πόλει δόξης καὶ δυνάμεως ἀπολελαυκώς Philop. 15 Cic. 32 Anton. 18. 34, quorum locorum primo Plutarchus si pro nomine proprio pronomen substituere voluisset, aut αὐτοῦ τῆς ἐν τῇ πόλει δυνάμεως aut τῆς ἐν τῇ πόλει δυνάμεως αὐτοῦ dicturus erat; sed praemittitur fere genitivus pronominis, ubi vim habet partitivam. Quae qualis sit, clarissime apparet ex eiusmodi locis, quales sunt supra c. 3 θαυμαστὴ δέ τις ἐφαίνετο αὐτοῦ παρὰ τὰς ἐν τῇ πολιτείᾳ μεταβολὰς ἡ εὐστάθεια infr. §. 7 μεγάλα δ᾽ αὐτοῦ καὶ τὰ πρὸς Θεμιστοκλέα τῆς ἐπιεικείας σημεῖα.

Ibid. §. 5 ἀποκρινόμενος ὡς μᾶλλον αὐτῷ διὰ πενίαν μεγαφρονεῖν ἢ Καλλίᾳ

διὰ πλοῦτον προσήκει· πλούτου μὲν γάρ ἔστι πολλοὺς ἰδεῖν εὖ τε καὶ καλῶς χρωμένους, πενίαν δὲ φέροντι γενναίως οὐ ῥᾴδιον ἐντυχεῖν, αἰσχύνεσθαι δὲ πενίαν τοὺς ἀκουσίως πενομένους. Infinitivum *αἰσχύνεσθαι* Sinten. quum olim (ed. crit. Arist.) e *προσήκει* pendere dixisset, recte nunc (ed. Weidm.) ex *ἀποκρινόμενος* aptum esse animadvertit, ut confusae sint inter se oratio recta et obliqua. Quamquam si accuratius rem spectaveris, ne antegressum quidem *ἔστι* sermone recto, sed ipsum quoque oratione obliqua propositum est ex eo usu, quem illustrat Krüger. gr. §. 54. 6, 4. Ex quo apparet non sermonem rectum et obliquum, sed duplex quoddam sermonis obliqui genus ita inter se confusum esse, ut oratio ab *ὡς* particula et indicativo modo inchoata, primum per eundem modum, addita particula *γάρ*, deinde vero per infinitivum cum *δέ* coniunctum (cf. Krüg. §. 54. 6, 5 §. 65. 11, 6) continuetur. Cuius confusionis etiam alia exstant apud Plutarchum exempla, veluti Agid. 10, ubi oratio ab infinitivo profecta (*ἀπεκρίνατο μὴ θαυμάζειν τὸν Λεωνίδαν, εἰ — ἀγνοεῖ τὸν Λυκοῦργον, ὅτι — ἐδυσχέραινε*), mox per indicativum cum *γάρ* coniunctum (*καὶ γὰρ ἐκείνους ἤλαυνεν*) continuatur, postremo autem rursus per infinitivum cum *ἐπεί* coniunctum (*ἐπεὶ — τιμηθῆναι*) absolvitur. Praeterea facile carebis, quod Coraes et Schäferus ad *αἰσχύνεσθαι* addi volebant, verbo *δεῖν* vel *δεῖ*, siquidem quod Aristides dixisse narratur, hoc est, non facile esse incidere in hominem generose paupertatem ferentem, imo pudere paupertatis suae eos, qui inviti pauperes sint. Scilicet verba *αἰσχύνεσθαι πενίαν* opponuntur superioribus *πενίαν γενναίως φέροντι*, ut appareat recte habere voculam *δέ* in ed. Junt. male omissam. Cf. Comp. Arist. c. Cat. 4 *διὸ καὶ τοῦτό φασι ἐν τῇ Καλλίᾳ δίκῃ τὸν Ἀριστείδην εἰπεῖν, ὡς αἰσχύνεσθαι πενίαν προσήκει τοῖς ἀκουσίως πενομένοις, τοῖς δὲ ὥσπερ αὐτὸς ἑκουσίως, ἐγκαλλωπίζεσθαι*, qui tamen locus quoniam paullo aliter conformatus est, interpretes in errorem induxit.

Cap. XXVII. §. 3. 4 *ὁ δὲ Φαληρεὺς ἐν τῷ Σωκράτει φησὶ μνημονεύειν Ἀριστείδου θυγατριδοῦν εὖ μάλα πένητα Λυσίμαχον, ὃς ἑαυτὸν ἐκ πινακίου τινὸς ὀνειροκριτικοῦ παρὰ τὸ Ἰακχεῖον λεγόμενον καθεζόμενος ἔβοσκε· τῇ δὲ μητρὶ καὶ τῇ ταύτης ἀδελφῇ ψήφισμα γράψας ἔπεισε τὸν δῆμον τροφὴν διδόναι τριώβολον ἑκάστης ἡμέρας. Αὐτὸς μέντοι φησὶν ὁ Δημήτριος νομοθετῶν ἀντὶ τριωβόλου δραχμὴν ἑκατέρᾳ τάξαι τῶν γυναικῶν.* Verba *γράψας ἔπεισε τὸν δῆμον τροφήν* pro vulgatis *γράψας δωρεὰν ἔπεισε τὸν δῆμον* nuper demum e cod. Fa similiterque verba *μέντοι φησὶν ὁ Δημήτριος νομοθετῶν ἀντὶ τριωβόλου* pro *μέντοι ὁ Δημήτριος νομοθετῶν ἐψηφίσατο* e codd. Fa L receperunt Sinten. (ed. Teubn. et Weidm.) et Bekkerus. Sed iidem duumviri neglexerunt additam

in iisdem codd. post *ἑαυτόν* particulam *μέν*. Quam qui addiderunt, manifesto etiam sequentia verba *τῇ δὲ μητρὶ — ἡμέρας* ad Lysimachum retulerunt. Quod ipsum etiam aliis causis comprobari videtnr. Nam si sequentia illa, ut vulgo fit, ad Demetrium retuleris, primum quidem pro *ἔπεισε* exspectaveris *πεῖσαι*, quod pendeat ex antegresso *φησί*, siquidem Plutarchum haec quoque e Demetrii narratione hausisse credibile est. Quod ut olim intellectum est ab Amioto (quem laudat Sinten. in mai. ed. Vitt.) vertente „*il dit avoir fait ordonner par le peuple pour leur aider à vivre à chacun un triobole par jour*“, ita nunc etiam clarius apparet ex recepta nuper postremorum verborum scriptura *αὐτὸς μέντοι φησὶν ὁ Δημήτριος*, quippe qua etiam haec verba non a Plutarcho narrari, sed a Demetrio narrata referri significetur. Quodsi quis illud *ἔπεισε* eadem licentia pro *πεῖσαι* positum dicat, qua supra c. 7 et 25 inter se confusae sint oratio recta et obliqua, meminerit posterioris loci prorsus aliam rationem esse (v. quae paullo ante de eo loco disputavimus), alterum autem locum, si sana sit lectio (nam facillimum est cum Schäfero emendare *εἰπεῖν*) certe ea carere constructionis ambiguitate, qualem h. l. adferunt interposita verba *ὃς ἑαυτὸν — ἔβοσκε*. Deinde vero etiam postrema illa verba *αὐτὸς μέντοι φησὶν ὁ Δημήτριος κτλ.* permire dicta videri debent, si iam proxime antegressa verba ad eundem Demetrium referantur, ut is non alii cuiquam, sed sibimet ipsi opponatur. De quibus verbis quae adnotat Sintenisius „*ist die Lesart richtig, so wird hier eine selbständige Bestimmung des Demetrius einem früheren auf seine Veranlassung gefassten Beschlusse des Volkes entgegengesetzt*“, ea ne ipsi quidem plane satisfecisse ex eo coniicias, quod se de lectionis veritate quodammodo dubitare significat. Verumtamen non tam emendando, quam interpungendo huic loco succurrendum videtur. Nam omnia planissima erunt, si, sublata pleniore quae est post *ἔβοσκε* interpunctione, verba *τῇ δὲ μητρὶ — ἡμέρας* non ad Demetrium, sed ad Lysimachum retuleris ac paullo ante post *ἑαυτόν* voculam *μέν* ipsa collocatione pronominis commendatam addideris ex iisdem codicibus, quibus reliqua totius loci conformatio debetur. Ceterum etiam privatis hominibus et dicere in concione et legem, quam antea senatui probavissent, ad populum ferre licuisse eoque iure ne eos quidem, qui arte aliqua et opificio paupertatem suam sustentarent, caruisse docet Schömann. de comit. p. 97. 113. 117 al. cf. eiusd. antiq. gr. I. p. 385 Hermann. antiq. publ. §. 129.

LIPSIAE,

TYPIS A. EDELMANNI, TYPOGR. UNIVERSIT.